

numerabantur olim homines Coloss. II. 11. Et re quidem vera in coetum Ecclesiae coagulari homines non possunt, nisi sacramentorum visibilium consortio colligantur, ut iam demonstravimus: atqui; ergo. Idem 2º Patres docent. Licet enim catechumeni appellentur Christiani a Patribus (August. in Ioann. Tract. 44. Interroga hominem. Christianus es? Respondet tibi: non sum, si paganus est aut Iudaeus. Si autem dixerit sum: adhuc quaeris ab eo: catechumenus, an fidelis?) non tamen vocantur *fideles*, seu ab iis distinguuntur; atque ita representantur ut fideles fieri debeant, in pietatis vestibulo versentur, adhuc intrare eos oporteat, atrium pertransire (Cyrill. hieros. Procat. n. 1. Nazianzenus in S. Baptisma Orat. 40) extra paradisum versentur, sociique sint exulis Adami (Nyssenus Orat. De baptismo). Praeterea cautum erat ut fideles ne domi quidem cum catechumenis orarent (Const. Apost. L. VIII. c. 36); ne praesentibus catechumenis fas esset sacramenta conficere, aut verba proferre, quae ad eorum formam spectarent (Synod. Laodic. c. 4), et ne praesentibus ipsis sacra oblatio apponeretur (Iulius I. epist. ad Orientales n. 12), utque sacramentum Eucharistiae celarentur Catechumeni (Tertull. Praesc. c. 41. August. in Ioann. Tract. XI. Cyrillus hieros. Procat. citata. Epiphanius haer. XLII). Atqui huiusmodi censeri nequeunt membra Ecclesiae. Rursus doctrina est Patrum Ecclesiam ex Christo filios gignere, viscera vero Ecclesiae in aquis esse baptismi, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit et Virginem, ex alvo Ecclesiae effundi per manus Sacerdotis baptizantis, fide tamen pronuba, h. e. fidem praevertere debere ut quis nascatur, seu institutione quidem fidei in sinu Ecclesiae filios concipi, nasci vero et in lucem emitti baptismo (August. De Symb. ad Catechumenos L. IV. c. 1. Optatus L. II. c. 10. Pacianus Serm. De baptismo n. 6.). Atqui qui membra Ecclesiae sunt, in filios eiusque natos computantur. Quare Rituale Romanum in ritu baptismi adulti, qui institutus prius esse debet et credere, orationem praescribit qua oratur Deus ut renovetur ille fonte baptismatis et inter Ecclesiae Dei membra numeretur. Eugenius quartus vero in Instruct. pro Armenis docet homines per baptismum effici membra Christi et de corpore Ecclesiae: ergo.

§. XXIV.

*Altera proprietas Ecclesiae est Sanctitas; eaque tum ipsi Ecclesiae essentialis, tum quae ex divina promissione semper erit in Ecclesia, quae quidem sanctitas cum potestate a Christo instituta veluti obnoxio principio sui est necessario connexa.*

I. Sanctum dicitur in creaturis quod est Deo dedicatum. Sanctitas ethica, propria personarum, nequit haberi sine assimilatione et coniunctione cum Deo: ea est generatim rectitudo moralis personae coram Deo. Eaque est tum habitualis tum actualis: nimirum rectitudinis actualis, positae in exercitio virtutum, principium est intrinsicum quod habitibus continetur, idque in praesenti ordine supernaturali sunt habitus infusi et gratia sanctificans. Haec est sanctitas personalis.

Sanctitas realis triplex distingui potest; quatenus vel res sancta dicitur quia est divino cultui dedicata, ut templa, altaria: vel quia principium est quomodocumque sanctitatis personalis, ut sacramenta, leges; vel quia effectus et signum est interioris sanctitatis et inhabitantis Spiritus S., ut sunt charismata miraculorum.

Utramque sanctitatem realem et personalem Ecclesiae vindicamus: realem non tantum quatenus ea sit Deo dedicata, sed quatenus principium est sanctitatis personalis: personalem non tantum quatenus possint esse in ea sancti, sed quatenus actu semper sint. Sanctitatem hanc dicimus proprietatem Ecclesiae, cum aliqua tamen distinctione: nam sanctitatem realem dicimus esse proprietatem essentialem, ut sine ea nequeat esse et concipi Ecclesia: sanctitatem vero personalem sive habituales completam, sive actualem positam in exercitio virtutum, prout utraque non solum potestate (quod essenziale est) sed actu sit, dicimus esse proprietatem seu potius qualitatem necessariam eo quod Deus voluit promisitque futuram eam esse in Ecclesia sua. Praeterea adserimus Ecclesiae sanctitatem positam in charismatis, eamque proprietatem seu qualitatem eadem ratione necessariam esse contendimus.

Porro ad sanctitatem quod spectat advertendum est quod subiectum, de quo sanctitatem praedicamus, est Ecclesia prout est una societas: ut autem universa societas dicatur sancta sanctitate personali actuali, 1º opus non est ut singuli socii sancti sint, aut sint sancti perfecta sanctitate quae ex charitate habituali procedit, aut qui sancti sunt perseverent omnes; sed satis est quod plus minus floreat in ea perenniter cultura virtutum, sive perfectarum ut in iustis, sive imperfectarum ut in se disponentibus ad iustificationem, quae san-

ctitas a principio intrinseco societatis dependet: 2° nec opus est ut in singulis suis aetatibus vigeat eximia et late diffusa cultura virtutum, sed satis est, supposita quidem in singulis aetatibus continuatione virtutum, quod collatis omnibus eius aetatibus simul de Ecclesia universim spectata praedicari sanctitas possit. Neque 3° ut Ecclesia universa dicatur florere cultura virtutum opus est in ea esse plures bonos quam malos, sed per se sufficit ut absolute multi sint boni, ac frequens sit exercitium virtutum, idque ex Ecclesiae intrinseco principio procedat praestituente normam sanctitatis et media ad eam suggerente. Hinc excipi nequit contra ea quae demonstrabimus quod forte praesertim in quibusdam aetatibus plures sunt mali quam boni. Ratio horum omnium est quia sanctitas quae asseritur est sanctitas totius corporis: denominatio autem, quae ratione actualis perfectionis tribuitur societati, non opus est ut petatur a maiori parte; sed petenda potius est ab ea quae, cum absolute ampla sit ut omnes etiam gradus et conditiones societatis pervadat, cum intrinseco principio societatis ipsius cohaeret. Non tamen concedimus in Ecclesia plures esse qui male operantur quam qui bene sive perfecte sive imperfecte. Quia vero virtus humana exerceri nequit quin extrinsecus se prodat, atque Ecclesia visibilis est; haec cultura virtutum manifesta esse extrinsecus debet. Defendimus ergo Ecclesiam Sanctam esse tum ratione habita essentiae suae, tum propter manifestam Christianarum virtutum culturam, tum propter superna charismata, quibus semper splendescet. Haec est prima pars thesis; itaque

II. Ecclesia est essentialiter Sancta. Sane omnia eius intrinseca constitutiva sunt sancta: sanctum ministerium quod datum est in consummationem sanctorum (Eph. IV, 11); sancti sunt nexus, quibus vincuntur fideles, nexus fidei, qua placemus Deo: nexus unitatis socialis, quae a caritate procedit, vel ad caritatem adducit: nexus sacramentorum quibus Deo cultus exhibetur, nobisque sanctitas comparatur: praeterea sancta est norma morum h. e. Evangelium, legesque ei consentaneae ab infallibili auctoritate propositae: sancta est causa materialis Ecclesiae, nempe baptizati, mundati lavacro aquae, Filii Dei, qui proinde sancti dicuntur: causa finalis est ipsa sanctitas inchoata in hac vita, consummata in altera: ideo enim Christus se tradidit pro Ecclesia, ut eam sanctificaret, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Ecclesia ergo prout est societas ordinans singulos homines in certum finem, et media habens in se pro huiusmodi ordinatione, eiusque finis consecutione, est essentia sua sancta. Quatenus vero sanctum dicitur quod est Deo dedicatum, eiusque cultui consecratum, Ecclesia rursus essen-

tialiter sancta est, quia est templum Dei, domus Dei, corpus Christi et sponsa Christi.

III. Sanctitas posita in virtutum cultura duplex, ut iam innuimus, distingui potest. Nempe 1) ea sanctitas sive ea virtutum cultura exercitiumve actuum honorum, quos sola fides et spes parere potest: eae enim vere virtutes sunt, principiumque esse possunt aliorum actuum honorum e. g. poenitentiae: 2) ea sanctitas, sive illud virtutum actuumve honorum exercitium qui caritatem habitualement supponunt. Hi actus si extrinsece spectentur difficile discernuntur a prioribus, intrinsece tamen differunt, et non raro notitia eorum sive existentis intus caritatis, obtineri humana certitudine potest, sicut liquet e. g. in examine virtutum pro canonizatione. Ita vero vindicamus Ecclesiae hanc alteram actualem sanctitatem perfectam, ut non excludamus a demonstratione nostra priorem, nec illi eandem ac huic amplitudinem asseramus. Nam et vi prioris vere dici potest florere in Ecclesia cultura virtutum. Quae profecto habere locum in plurimis potest, plures enim ex iis qui peccant continuo poenitentiam agunt; cuius actus in tot fidelibus ornamentum Ecclesiae certe sunt.

Christus quidem voluit permittere praedixitque futurum quod mali iique non pauci in sua Ecclesia essent (cave autem ne cum his confundas eos qui vel apostasia vel excommunicatione sunt ab ea alieni): id tamen non impedit quominus sanctitas descripta sit in Ecclesia. Iam vero necesse est ut Ecclesia non solum iure sed et facto semper sit talis, qualem Deus praedixit et promisit futuram; praedictio enim et promissio factum respiciunt, quae quidem praedictio et promissio signum sunt voluntatis consequentis et efficaciae Dei: necesse est autem ut Ecclesia sit qualem Deus voluntate consequente et efficaci vult esse. Iam vero considerentur haec; a) 1. Tim. IV, 10. *Christus est salvator omnium hominum, maxime fidelium*: Eph. V, 23. *Ipse est salvator corporis sui*. Scilicet omnes quidem homines salvari possunt per Christum, ipseque vult antecedente voluntate omnes salvari, salvat tamen actu fideles: salus autem quam Christus hominibus contulit, quaeque proprie dicitur salus, est salus perfecta; atqui haec sine sanctitate et exercitio virtutum esse nequit; ergo quemadmodum certum est fore salvandos, ita certum est fore actu perfecte sanctos. Quos vero Christus salvat? tot ut dici possit salvator corporis sui; tot ergo erunt sancti, ut propter eos ratione actualis exercitii virtutum Ecclesia universa secundum amplitudinem suae durationis spectata dici possit sancta. b) Vaticinium Ierem. superius citatum XXXI, 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt*

*mihī in populum... propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius.* His verbis ipsum factum promittitur, quod et per se patet, et patet ex oppositione instituta cum foedere veterē, quod dicitur irritum factum fuisse (v. 32) propter hominum scelera. Iam vero hoc facto sanctitas continetur consistens in exercitio virtutum, exercitium vero virtutum ex lege scripta in cordibus quae est lex caritatis, est exercitium virtutum perfectarum. Huiusmodi vero sanctitas erit ut dici possit universim: *ipsi erunt populus Dei*, sive ut possit de universa Ecclesia praedicari.

c) Matth. XIII, 24. seqq. coll. 35. seqq. ex parabola zizaniorum constat quod usque ad finem mundi cum zizaniis erit bonum semen in agro, h. e. in regno Christi erunt cum malis Filii Regni. Porro hi Filii Regni sunt iusti qui in consummatione seculi per Angelorum ministerium discernentur a malis, et fulgebunt sicut sol in regno Dei. Ergo usque in finem mundi sancti perfecta sanctitate erunt in Ecclesia. Erunt autem semper continuata serie, sicut bonum semen semper crescit in agro: utraque enim ab eo tempore, quo sata sunt, crescunt usque ad messem; bonum autem semen Filius hominis sevit, et messis est consummatio seculi. Igitur quacumque aetate sanctis florebit Ecclesia Christi: «Oportet itaque (ait August. De Unit. Eccl. n. 35) usque in finem seculi crescere utramque per mundum. Unde iam non permittuntur isti suspicari aut asserere quod dicunt omnes bonos defecisse, ut in sola parte Donati remanerent.» Et quidem ratione multitudinis ea erit habitudo honorum ad malos qualis est habitudo seminis in toto agro seminati ad zizania superseminata; quod collatis quoque testimoniis superius allatis manifeste docet eam fore multitudinem boni seminis sive filiorum Regni semper ut propter exercitium virtutum universa Ecclesia possit dici sancta. d) Eph. V, 23. seqq. instituta comparatione inter dilectionem Christi erga Ecclesiam et dilectionem viri erga mulierem, inter cetera ait Apostolus (vv. 28. 29) qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. Iam vero dilectio Christi in eo est ut se ipsum tradiderit pro Ecclesia, ut eam sanctificaret, eamque exhiberet sibi gloriosam sine macula et ruga: porro Christus nutrit et fovet Ecclesiam, eo quod illam diligit; nutrit et fovet semper, quia nunquam odio habet; nutritio autem haec et hic fatus actualem significant communicationem Spiritus et donorum, quibus actu vegetat et floret caro Christi, h. e. actualem sanctitatem sese explicantem per exercitium perfectarum virtutum: ergo Ecclesia semper quavis aetate florebit cultura virtutum.

Ecclesia quippe iuxta Patres hortus est et paradus Dei longe

lateque diffusus (Optatus L. II, n. 11), mons est multa sanctorum millia continens tanquam cedros et arbores proceros plantatos secus decursus aquarum intelligibilium (Cyrillus Alex. in Amos IX, 13. 15): civitas est Dei, quae ex meliore sui parte semper cum auctore suo mansit (August. in Psal. CXXXI): torcular est fontis aeterni, in quo caelestis fructus exundat (Ambrosius De Sp. S. L. I, n. 1); atque hoc etiam titulo catholica appellatur quod generaliter omne peccatorum genus, quae per animam et corpus perpetrantur, curat et sanat, eademque omne possidet virtutum genus in factis et verbis, et spiritualibus cuiusvis speciei donis (Cyrillus hierosol. Catech. XVIII, n. 23).

Appellatio vero *Sanctae* facta Ecclesiae in Symbolo non solum significat essentialē sanctitatem, sed et hanc positam in exercitio virtutum: «Sanctam (inquit August. enarrans Symbolum Serm. CXXIV, n. 11) quoque Ecclesiam, matrem vestram, tanquam supernam Ierusalem sanctam civitatem Dei honorate, diligite, praedicate. Ipsa est quae fructificat in hac fide quam audistis, et crescit in universum mundum, quae malos in fine separandos, a quibus interim discedit disparitate morum, tolerat in communionē Sacramentorum.» Et auctor sermonis 4<sup>i</sup> de symbolo ad catechumenos (inter opera Augustini Vol. VI.) n. 13: «Sanctam Ecclesiam, Ecclesia mater est spiritualis, sponsa Christi, gratia eius dealbata, pretioso sanguine dotata. Totum possidet quod a viro suo accepit in dote.» Et Cyrillus hierosolym. in catech. citata explicans vim vocum *Sanctam Ecclesiam* ait: «Priore namque (Synagoga) repudiata, in secunda, catholica videlicet Ecclesia, Deus uti Paulus ait, posuit primum Apostolos... tum gratias curationum... et omnem cuiuslibet virtutis speciem, sapientiam dico, et intelligentiam, temperantiam et iustitiam, misericordiam et humanitatem, insuperabilemque in persecutionibus patientiam.» Cf. Catechismus Trident. ad hunc artic. in Symbolo.

IV. Verum praeterea non solum perfecta sanctitas generatim esse in Ecclesia debet, sed praeterea quaedam eximia sanctitas, sive eximia cultura virtutum, quae propria Ecclesiae sit, iugiterque in ea perseveret, licet minore cum amplitudine. Liqueat id ex eo quod Christus voluerit in Ecclesia sua culturam quoque consiliorum. De consiliis praecipuis sermo occurrit Matth. XIX, 12: 1. Cor. VII, 25. 38: Matth. X, 9: Act. II, 44: Matth. XVI, 24; XIX, 21. (cf. Bellarmin. De Monachis c. 9). Porro Christum velle ut observatio eorum semper in Ecclesia vigeat, licet non tanta amplitudine quanta ipsam generatim sanctitatem, quod ex ipsa natura consiliorum patet, velle autem non quidem vi obligationis impositae, sed suavi et efficaci providentia efficiente ut sit, haec persuadent. Christus qui sponsam suam diligit ac nutrit et fovet eam, efficit ut ea sancta sit secundum normam a

se ipso in Evangelio propositam; atqui haec norma consilia quoque complectitur: ergo. Et re quidem vera oportet ut Ecclesia, quae est corpus Christi, vitam sui capitis perenniter referat; atqui Christus absolutissimum exemplar fuit omnium consiliorum, eorumque exercitio omnis vita eius contexta fuit: ergo. Hinc ab initio Ecclesiae exstitit consiliorum observatio, iugiterque perseveravit, veluti spontaneus effectus institutionis christianae.

V. Charismata intelligimus gratias gratis datas quarum plures enumerat Apostolus 1. Cor. XII, 28. 30. et Christus Marci XVI, 17. 18. quaeque praecipue ad miracula redeunt. De horum possibilitate non est cur heic philosophice disputemus. Protestantes rationalistae qui hanc possibilitatem negant, et idcirco negant miracula in Ecclesia Christi esse futura, audiri non merentur. Defectus eorum in suis coetibus haud parum contulit ad eorundem negationem. Iam vero quaestio duplex esse potest: 1<sup>a</sup> an simpliciter in Ecclesia esse debeant aliqua saltem; 2<sup>a</sup> an perseverare quadam continuitate in eadem debeant. Quod spectat ad hanc alteram quaestionem, nequit profecto postulari continuitas quaedam physica sine interruptione, quam ipsa ratio miraculi quod extraordinarium quoddam est excludit, et quam finis horum charismatum nullo modo exigit. At si huiusmodi signorum existentia nexa est a Deo cum vita supernaturali ipsius Ecclesiae, ea ipsorum perseverantia exigi potest, propter quam dicere liceat semper eandem esse Ecclesiae vitam, et sic eandem esse Ecclesiam; ad quod obtinendum sufficit ut identidem pro opportunitate secundum divinae Providentiae consilium signa huiusmodi in Ecclesia fiant. Iam vero 1<sup>o</sup> certum est voluisse Deum ut essent talia signa in Ecclesia quibus eius divinitas probaretur: quod quidem ut verum sit, satis est ea ex divina voluntate exstitisse ab origine Ecclesiae. Sane praedicatio Apostolorum fuit non in sapientia hominum, sed in ostensione spiritus et virtutis Dei 1. Cor. II, 4. 5; porro virtutes Dei sunt miracula Matth. XI, 21. alibique: Apostolique ubique praedicaverunt Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis Marc. XVI, 20. Idque futurum Christus praedixit Marc. ibid. 17 et Ioan. XIV, 12. ac idcirco id se facturum: miracula enim solus Deus efficienter operatur. Porro 2<sup>o</sup> ex iisdem testimoniis patet quod promissio signorum a Christo facta Ecclesiae suae non est determinate nexa cum originibus fidei sed simpliciter cum ipsa fide qua Ecclesia vivit, ut eiusdem essent divina confirmatio. Iam vero hic nexus exigit ut perseverante eadem fide perseveret quoque operatio signorum: statuta enim sunt a Deo miracula tanquam signa huius vitae supernaturalis; oportet autem vitam hanc manifestam esse semper iisque modis quibus Deus illam ostendi voluit: ergo.

VI. Affirmamus tandem nexum existere ex institutione Dei inter sanctitatem quam descripsimus et auctoritatem ab eo in Ecclesia statutam ut haec sub Deo sit principium quoddam illius, et citra ipsam sanctitas nequeat haberi. Sane potestas a Christo instituta in Ecclesia posita est in consummationem Sanctorum Ephes. IV, per ipsam solam vera fides habetur quae est sanctitatis initium, ab ea sola legitime accipiuntur sacramenta qua legitima susceptione interior sanctitas obtinetur, ea sola Dei nomine et infallibiliter proponit normam certam vivendi secundum Evangelium, ut sanctitatem assequantur, et progressus in sanctitate faciant fideles, gratiarumque gratis datarum promissio illi soli fidei facta est quam docet magisterium a Christo institutum. Ergo ut haec omnia bona habeantur oportet ea mediante hoc ministerio a Christo instituto obtinere; et extra illud non nisi specie tenuis haberi possunt, quemadmodum seorsim ab illo nulla est Ecclesia Christi: ergo.

§. XXV.

*Ecclesiae Christi proprium rursus est ut non iure tantum, sed et facto sit catholica, h. e. ea communionem contineatur, quae absolute ampla sit, relative vero amplior sit quovis coetu qui Christiani nomen sibi immerito usurpat. Cum autem in catholicitate elementum materiale et formale distinguatur, principium formalis catholicitatis esse debet Ecclesiastica potestas a Christo instituta.*

I. Ὅλον est totum sive plenum et integrum, si referatur ad partes; atque est totum sive universum, si referatur ad species aut individua. Καθολικόν proinde universalitatem aut plenitudinem significat. Multiplex quidem potest distingui plenitudo et universalitas in Ecclesia: nempe plenitudo doctrinae salutaris, mediorum sanctificantium, materiae remotae quae est genus humanum, materiae proximae, quae omnes complectitur orthodoxos: plenitudo seu universalitas temporum, ac tandem plenitudo seu universalitas locorum et nationum, h. e. plenitudo chorographica et ethnographica. De prioribus non loquimur: quas identidem comprehendunt Patres in appellatione *catholica*, sine exclusione tamen postremae, imo ea supposita et adsignificata: quaestio est modo directe de ultima, inclusa tamen etiam penultima: nempe quaeritur utrum Ecclesia Christi tanquam proprium habeat ut sit catholica universalitate locorum atque nationum, et quidem semper. Ut catholicitatis conceptus perspicuus sit, advertere haec oportet: 1) Catholicitas alia est *iuris*,